

nam necessitas cognitionis non est propter libertatem, vel necessitatem. Simile argumentum sumitur ex multitudine objectorum, quæ amari possunt : nam si non magis applicaretur unum, quam aliud, non magis posset tendere in unum, quam in aliud, ergo oportet applicari per cognitionem, et hinc,

3. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo, probabilius omnino est, voluntatem non posse durare in amore, nisi intellectus perseveret in actuali cognitione. Est communis, et ratio est, quia appetitus non magis durat, quam illud, a quo dimanat : secundo, quia actio non potest conservari, si non adsit objectum convenienter applicatum : tertio experimur voluntatis amorem remitti cum intellectus ad alia cogitanda distrahitur : ergo si intellectus omnino ad alia feratur, et auferat cogitationem de objecto amoris, amor omnino destruetur. Et quæ dicta sunt de voluntate actu, a fortiori vera sunt de intentione, quæ, ut supra dixi, majorem directionem cognitioni requirit.

4. *Solvitur fundamentum primæ sententiæ.* — Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, primam operationem intellectus non esse a voluntate applicante : sed vel ab auctore naturæ, vel ab aliqua causa extrinseca : ita divus Thomas 1, 1 part., quæst. 82, numero 4. Cum autem voluntas proprio actu applicat intellectum ad cogitandum de aliqua re, semper præcedit aliqua cogitatio confusa et imperfecta, vel ipsius rei, vel accidentium, quæ excitant memoriam ejus. Recte Augustinus 10, de Civitat., cap. 1 : *Qui amat* (inquit) *scire quod non scit, non amat incognita, sed rei cognitæ scientiam.* Ad confirmationem respondetur ; ea voluntas, qua quis vult nihil cogitare, non potest habere effectum eodem instanti quo est ipsa : sed ut plurimum immediate post illud, et in eo jam ea voluntas cessabit : quod si voluntas sit pro eodem instanti, est sibi contraria et inefficax.

5. *Solvitur fundamentum 2.* — *Vide auctorem, l. 3, de Anima, c. 3.* — Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur illa experientia. Quod vero aliquando accidit est intellectum in principio peculiaris perfectiones objecti considerare, ut amorem excitet : postmodum vero illas omittit : non tamen omnino desistere ab actuali representatione illius objecti saltem in confuso. Confirmatio ex dictis manet soluta. Occurrebat quæstio, an hæc cognitio sit necessaria tanquam ratio, vel tanquam conditio solum objecti, de qua suo loco philosophi. Solum est advertendum, cognitionem, vel sit

conditio, vel applicatio objecti : tamen plurimum posse conferre ad distinctionem actuum voluntatis, si cognitio ipsa non solum ex parte cognoscentis, sed etiam ex parte rei cognitæ varietur, si res eadem aliter a diversis concipiatur, ut ab uno apprehendatur sub ratione boni, ab alio sub ratione mali, et si sit una res, si concipiatur sub ratione honesti ab uno, ab altero sub ratione delectabilis : nam hæc cognitio variat actus non per se, sed quia applicat diversa objecta formalia, licet forte materiale sit idem. Si vero objectum non varietur, diversa conditio cognitionis, scilicet esse claræ, vel obscuræ, certam, vel incertam, non mutat qualitatem actus voluntatis.

SECTIO V.

Qualis debeat esse hæc cognitio.

1. *Opinio Thomistarum sufficere cognitionem phantasiæ ut voluntas velit.* — Primum disputari potest, an sit necessaria cognitio intellectus : an sufficiat cognitio phantasiæ : aliis enim etiam Thomistis ita videtur ex D. Thoma 1, 2, q. 10, art. 3, ad 3, dicente voluntatem non solum moveri a bono apprehenso per rationem, sed etiam per sensum. Et ratio esse potest, quia licet potentiæ sint diversæ : tamen eadem anima est, quæ sensu interiori cognoscit, et per voluntatem appetit : ergo illa cognitio sufficere potest. Confirmatur : nam voluntas movetur ad amandum actu naturali rem supernaturaliter cognitam : ergo sicut movetur a cognitione superioris ordinis, ita potest ab inferiori.

2. *Contraria communis et vera.* — Opposita nihilominus sententia communis est, et verior mihi videtur. Et imprimis, cum sensus cognoscit, aliquid esse conveniens homini, vel intellectus idem judicat, vel dissentit, vel nullo modo habet judicium : si dissentiat, manifestum videtur, voluntatem non posse sequi judicium sensus contra omne judicium intellectus. Primo, quia intellectus est propria regula voluntatis accommodata illi ex natura sua. Præterea, quia libertas voluntatis oritur ex perfectione, et amplitudine rationis, non ex pluralitate potentiarum : ergo non est liberum voluntati appetere bona sensu proposita : sed ea, quæ ratione proponuntur : aut si unum est tantum amare, et non amare. Confirmatur, quia licet appetitus sensitivus appetat motum, si voluntas nolit, non fiet solum quia voluntas est facultas superior, cui appetitus subjicitur :

ergo idem est de intellectu, et phantasia a proportionem : si vero intellectus nihil judicet imprimis, vix intelligi potest, quo modo id fiat : tamen etsi fieret, non posset moveri voluntas, quia appetitus sequitur esse, et formam proportionatam, ergo appetitio rationalis non sequetur nisi a forma, id est, apprehensione spirituali, et rationali. Confirmatur, quia potentia cognoscitiva, quæ potest movere voluntatem, potest eam dirigere, et illuminare, quia est magna perfectio : ergo non potest convenire potentiæ inferioris ordinis. Et tandem intellectus non potest per se movere appetitum sensitivum, solum, quia ejus cognitio non est illi consentanea : ergo nec e contra. Si denique simul judicium sensus et intellectus convenient, jam non a sensu, sed ab intellectu movebitur voluntas, neque illud judicium sensus per se conferre potest, ut voluntas magis moveatur, propter easdem rationes : per accidens vero poterit juvare, quatenus quodam modo trahit intellectum, ut secum consentiat, vel juvat, ut rem distinctius cognoscat.

3. Ad D. Thomam Cajetanus obscure respondet. Dico igitur, nomine boni apprehensi per sensum intelligere D. Thomam bona materialia individua, quæ ab illo ita nominantur, non quia illa apprehensio sufficiat, sed quia hæc bona sunt, quæ primo subduntur sensibus. Ad confirmationem non est simile de cognitione supernaturali : nam illa est spiritualis cognitio, et includens rationis judicium, quod non habet sensus.

4. *Sufficere apprehensionem intellectus opinio Scoti.* — *Necessarium esse actum judicii communis et vera sententia.* — Hoc constituto explicandum sequitur, qualis debeat esse hæc cognitio intellectus. Scotus, n. 2, d. 9, q. 1, dicit sufficere quæcumque apprehensionem objecti. Fundamentum est, quia illa est aliqua cognitio spiritualis, atque adeo sufficiens applicatio objecti : in appetitu enim sensitivo, similiter apprehensio sufficit sine judicio, ergo. Sed contrarium verum est : quod reliqui theologi opinantur, in 2, dist. 24, cum Aristotele 3, de Anima, D. Thoma, loco citato : qui omnes dicunt, necessarium esse judicium, qua de re judicetur esse bonam, vel malam, et experientia quidem docet, nos non posse amare, nisi supposito hoc judicio. Et ratio est : quia bonum ut bonum est objectum appetitus, et hoc debet esse præcognitum : ergo debet præcognosci, hoc esse bonum : hoc autem est judicium. Confirmatur, nam apprehensio indifferens est rei possibili, et impossibili convenienti, vel

disconvenienti : appetitus vero est rei convenientis, et cum aliquo ordine ad existentiam. Ad fundamentum negatur minor : falsum etiam est ; in parte sensitiva non præcedere aliquem modum judicii, ut constat : nam duo animalia apprehendunt lupum : et tamen ovis fugit, et non aliud : et ratio est, quia non solum apprehendit, sed suo modo judicat, id sibi expedire : est enim in sensu aliquis modus judicii, qui non a ratione, sed a naturali instinctu profluit, idem fere de pueris et amentibus sentiendum.

5. *Quale debeat esse judicium movens voluntatem.* — Major difficultas est, quale debeat esse hoc judicium : quidam volunt sufficere, judicium speculativum, scilicet hoc esse bonum. Ratio est, quia hoc judicio cognoscitur id quod vere bonum est, vel sub ratione veri boni : nam speculatio tendit in veritatem, sed nihil ita movet voluntatem, sicut verum bonum : ergo. Confirmatur, quia licet speculatio non sit de se tam efficax ad movendam voluntatem, tamen si duret, et perseveret, nonnunquam excitat affectum. D. Thomas, 1, 2, q. 9, art. 2, ad 2, docet, necessarium esse judicium practicum : quam sententiam aliqui interpretantur ita ut necessarium esse credant, quemdam actum intellectus, quem vocant practice practicum, et imperium, et explicatur hæc voce, *fac hoc* ; sed de hoc judicio, et imperio plura dicam in sequentibus.

6. Dico igitur judicium sufficiens ad movendum voluntatem ad primum actum perfectum, et absolutum hoc modo debere esse practicum, ut non solum quis judicet, hanc rem esse in bonam, et speculetur ejus perfectionem, sed etiam quasi applicet rem cognitam voluntati : quod facit cum vel formaliter, vel virtute judicat, esse sibi hoc objectum et conveniens, et possibile, et expedire illud amare. Et patet hoc sufficere, quia tunc fit sufficiens judicium bonitatis, et convenientiæ objecti. Rursus objectum applicatur voluntati, ut patet, ex modo ipsius judicii : ergo. Et confirmatur, nam judicium, quod antecedit, et sufficiens est ad eliciendum hunc actum, et non necessitat voluntatem, ut, sectione sequenti, ostendam : ergo non potest esse, nisi id, quod est explicatum ; nam illud imperium, ut ejus auctores dicunt necessitat voluntatem. Confirmatur etiam, quia imperium illud, si quod est, non præcedit, sed subsequitur electionem, teste D. Thoma 1, 2, quæst. 13, art. 1, ad 2, ergo, etc. Hoc autem judicium esse necessarium probatur primo ex D. Thoma. Secundo, quia quando

intellectus tantum speculatur, licet veritatem objecti intelligat, tamen illam non applicat voluntati. Confirmatur, quia ad amandum non est satis cognoscere objectum esse in se bonum: sed necesse est cognoscere, bonum esse amabile objectum: hæc autem cognitio practica vere dici potest, cum includat ordinem ad actum voluntatis. Ex dictis in hac sectione constat de cognitione ad actum intentionis necessaria. Eodem enim fere modo loquendum est servata proportione.

SECTIO VI.

In quo genere causæ concurrat cognitio ad actum voluntatis, et an moveat intellectus voluntatem quoad exercitium, vel quoad specificationem.

1. *Notatio duplicis motionis quoad speciem et quoad exercitium.—Primum corollarium.—Secundum corollarium.*—Nota primo, potentias animæ, quarum actiones voluntariæ esse possunt, præter vim activam duo requirere ad agendum, scilicet motionem objecti convenienter propositi et applicationem operantis ad opus, quam censeo, semper fieri ab appetitu. Prior motio objecti dicitur quoad specificationem, quia ab objecto sumitur determinatio et species actus. Posterior motio dicitur, quoad exercitium, quæ communiter esse dicitur in genere causæ effectivæ: quod non est ita intelligendum, ut potentia superior movens et applicans, aliquid efficiat in inferiori, sed dicitur efficere, quia efficaciter movet per naturalem consensionem potentiarum ejusdem animæ, quæ ita sunt institutæ, ut una alteri obediat, de qua re vide Augustinum, de libero Arbitrio, cap. 11. Ex quibus colligitur primo istum duplicem modum motionis proprie solum reperiri in dictis animæ potentiis: nam reliquæ neque ita proprie habent objectum, a quibus moveantur et quia a natura sua sunt omnino determinatæ, non indigent intrinseca applicatione ad agendum, sed forte extrinseca per motum localem, quod indicavit D. Thomas 1, 2, quæst. 9, art. 1, ubi Cajetanus multa. Secundo colligitur, an, et quomodo intellectus moveat voluntatem quoad specificationem, movet enim in quantum voluntati objectum proponit: quocirca per se et proprie ipsum objectum est quod movet: per accidens vero intellectus tanquam applicans licet in moralibus censeatur causa per se sicut dans consilium. Sed tunc occurrebat illa quæstio, an hæc motio

fiat per veram efficientiam objecti cogniti, aut ipsius cogitationis in voluntate, vel in actu ejus. In qua quæstione.

2. *Voluntas sola efficit suum actum.*—Dicendum. Sola voluntas est totum principium efficiens suum actum: atque adeo nihil recipit ab objecto, neque ab illius cognitione. Est D. Thomæ supra et Scoti, et communis. Ac patet primo, quia voluntatem efficere suum actum constat, quia est actus vitæ, et debet procedere a principio intrinseco: quod vero sola efficiat, est valde consentaneum naturæ voluntatis: non solum, quia perfecte libera est, sed etiam quia est quoddam pondus in suum objectum: unde fertur in illud ad modum aliarum rerum, quæ habent inclinationem: modus vero operandi alicujus inclinationis ut gravitatis est ut ipsa se inclinet in terminum: a termino vero moveatur finaliter, non effective: ideo non est necessaria alia efficacia. Secundo, quia causa finalis non est activa; hæc autem causalitas finis sufficit ad movendam voluntatem et dandam speciem actui. Præterea cognitio intellectus non potest per se et immediate influere in actum voluntatis: nunquam enim actus unius potentie animæ est principium eliciendi actum alterius, neque etiam objectum cognitum potest esse hoc principium, quia ut sic non habet aliud esse realiter, nisi esse ipsius cognitionis.

3. Dices ex Aristotele non potest esse idem principium activum et passivum respectu ejusdem: cum igitur voluntas recipiat suum actum, non potest ipsa sola ipsum efficere. Quare Gabriel et Nominales in 2, dist. 25 et Capreolus, d. 24, Paludanus, d. 49, Henricus, quodlib. 2, quæst. 5, Ferrariensis 1, contra Gent., cap. 23, in diversas sententias trahuntur. Nam quidam dixerunt esse voluntatem agentem, aliam recipientem. Alii autem, actum fieri ab objecto vel totaliter, vel partialiter. Cajetanus et alii dixerunt, voluntatem habere habitum a natura insitum, quo amat finem, per quem postea facit actum circa media. Sed hæc omnia facile solvuntur ex dictis: dicendum est igitur, eandem voluntatem habere totam vim activam sui actus et posse illum recipere: nam potest idem esse simul in actu virtuali et potentia formali. Addit tamen Ferrariensis 1, contra Gent., cap. 44, finem licet non moveat voluntatem effective ad sui amorem, movere tamen effective ad electionem mediorum: verum neque ista efficientia proprie tribuitur objecto voluntatis, sed ut plurimum ipsamet intentio, quæ est actus voluntatis, est ratio

efficiendi electionem medii, sicut assensus principiorum est causa effectiva assensus conclusionis.

4. *De motione ad exercitium.*—De motione quoad exercitium Thomistæ fingunt illam necessitatem imperii, communiter dicunt intellectum illo imperio ita efficaciter movere voluntatem ad primam volitionem finis, ut, posito tali imperio, non sit in potestate voluntatis non amare et hoc modo dicunt, intellectum applicare voluntatem ad hunc actum quoad exercitium, et effective: citant Aristotelem 6, Ethicor., a cap. 8, ad 11, dicentem intellectum practicum movere effective et quoad exercitium voluntatem, ut patet in prudentia, cujus imperio posito est impossibile, voluntatem non obedire.

5. Dicendum tamen est, voluntatem in hoc actu non moveri ab intellectu effective, neque quoad exercitium: quod colligitur ex divo Thoma 1, 2 quæst. 17, art. 1, ubi ait, imperium non esse in ratione, nisi supposito actu voluntatis, a quo suam vim et efficaciam sumit: ergo circa primum actum voluntatis non potest esse imperium: unde D. Thomas 2, 2, quæst. 47, ait imperium tantum esse de his, quæ sunt ad finem. Et Aristoteles supra dicit, imperium esse actum prudentiæ, cujus non est præscribere finem, sed media. Præterea probo non esse possibile imperium adeo efficax circa primum actum voluntatis, quia non potest necessitari ab alia potentia ante omnem suum consensum: nam vel intellectus necessario imperat, vel libere: si primum, cum voluntas etiam necessaria obediat, tollitur libertas, si secundum: ergo vel ipse intellectus liber est formaliter, quia suppono falsum: vel certe libertas illius imperii provenit ab alio actu libero voluntatis applicantis intellectum ad imperandum: de quo actu voluntatis rogo, an sit ante omne imperium, quandoquidem veniendum est ad unum primum actum voluntatis liberum factum sine imperio: sit igitur ipsa voluntas finis. Dicunt quidam, imperium esse liberum, tamen non procedere a voluntate priori, sed simul intellectum imperare et voluntatem amare et utrumque actum quasi sese mutuo applicare, et neutrum alterum antecedere: sed hoc neque exponi, neque intelligi potest: nam impossibile est, voluntatem per illum actum, quo amat finem, applicare illum ad efficiendum illum actum, quia actus imperatus ut sic, est effectus imperii: effectus vero non potest applicari causæ, deinde hæc mutua applicatio non est sine aliquo genere causalita-

tis: ergo necessario unus actus debet alterum antecedere, saltem natura: quare impossibilis est ille circulus in eodem genere causæ, scilicet effective applicantis, et eodem modo dici posset, voluntatem applicare intellectum ad primam cognitionem, contra omnes theologos. Præterea usus activus est actus appetitus secundum omnes philosophos et theologos: et tamen hic usus est applicatio potentie inferioris ad opus: ergo non convenit intellectui. Tandem juxta hanc sententiam tam libera potentia est intellectus, quam voluntas: nam æque primo utraque se determinat libere ad suum opus: quæ omnia et absurda sunt, et non necessaria: nam posito illo judicio, de quo supra, ponitur id solum, quod ex parte intellectus necessarium est ut voluntas moveatur: quare concludo, voluntatem non moveri ab intellectu ad appetendum finem, quoad exercitium actus.

6. Ad fundamentum nego, intellectum practicum semper movere effective voluntatem. Quid vero dicendum sit de prudentia, de qua Aristoteles illo loco, infra dicam disputatione sequenti, nam versatur circa media.

SECTIO VII.

A quo moveatur voluntas quoad exercitium in actu circa finem.

Hæc quæstio proponitur propter quosdam, qui opinati sunt, voluntatem non se movere in isto actu circa finem, sed necessario debere moveri a Deo. Fundamentum est, quia qui se movet, debet operari ex intentione finis prius amati, quia finis est principium ejus motionis: hic autem modus motionis repugnat ipsi amori et intentioni finis: quam sententiam interdum videtur indicare D. Thomas, 1, 2, quæst. 9. Alii, ut Scotus, 2, d. 5 et 25, censent voluntatem movere se ipsam in primo amore finis.

2. *Prima assertio.*—Dicendum est primo. Physice voluntas se movet, et applicat ad primum actum, quem habet circa finem: quia physice se movere, est efficere in se motum: at voluntas efficit in se istum motum ad finem: ergo. Item voluntas non habet potentiam superiorem, a qua applicetur, neque applicatur a causa extrinseca, ut patet: ergo. Confirmatur: nam voluntas applicat alias potentias, dum vult hominem per illas operari: sed ipsa dum vult finem simul vult operari circa finem; ergo. Dices, ut quis moveat se physice, non est satis facere in se motum: sed necessarium est,

ut efficiat per formam ab ipso comparatam : qua ratione grave non se movet, sed a generante, quia tantum efficit illum motum ex vi ponderis naturalis. Respondetur, hoc magis pertinere ad modum loquendi, quam ad rem. Sed dico, illum modum loquendi non esse verum, maxime in actionibus vitæ, neque in naturalibus.

3. *Secunda assertio.* — Dicendum est secundo. Non solum physice, sed etiam moraliter voluntas se movet in actu circa finem, et magis in actu intentionis, ex D. Thoma, 1, 2, quæst. 1, art. 2, dicente, hominem proprie se movere in illo actu, qui procedit ex perfecta cognitione finis, et cuius est dominus : sed prima voluntas finis procedit ex prima cognitione finis, et bonitatis illius : et homo est dominus illius actus, quia est actus liber, ut supra diximus : ergo, etc. Confirmatur : nam sæpe iste actus, non potest referri in alium, nisi in operantem, quia potest esse peccatum. Nam primus finis proximus potest esse rationi contrarius : et ideo D. Thomas supra dixit, in ipsa volitione particularis finis debere perpendi, an ejus bonitas sit conformis rationi : idem colligitur ex eodem 1, 2, quæst. 6, art. 2. Imo addo non solum cum actus iste est liber, sed etiam si sit necessarius propter perfectionem finis et cognitionis, posse etiam proprie dici voluntatem moraliter se movere in tali actu, quia ex plena potestate, et perfectione sua se applicat ad illum actum, propter quod supra suo loco dixi, illum actum esse vere humanum. Vide quæ diximus supra, tr. 1, disp. 2, sect. 2, n. 9.

4. *Tertia assertio.* — Dicendum est tertio, voluntas a nulla causa extrinseca creata moveri potest directe ad exercitium actus. Est communis et ex parte probata, in lib. de Angelis, cap. ubi ostendimus, Angelos non posse isto modo movere voluntatem : ergo neque reliquæ creaturæ, etiam cæli : quia cæli, et reliquæ agentia agunt qualitate corporea : voluntas vero est spiritualis. Dico *directe*, quia indirecte possunt, aliquo mediante corpore, vel appetitu sensitivo a quo, ut patet, voluntas non directe, sed indirecte moveri potest. Et per hæc excluditur error antiquorum, qui dixerunt cælum influere in voluntatem actionem volendi : vide D. Thomam 3, cont. Gent., Augustinum 7, de Civit., cap. 5, Chrysostomum, hom. 50, ad populum.

5. *Quarta assertio.* — Dicendum est quarto. Deo aliquando tribui potest ista motio voluntatis in finem : quia volitio finis potissime in-

clinationi voluntatis non est contraria : hæc conclusione explico D. Thomam, in 1, 2, q. 9 et sequenti. Nam primo Deus potest movere voluntatem, quia cum illius actu concurrat, et in illam influit : sed hoc omnino improprie, isto enim modo concurrat etiam circa media, et concurrere non est movere. Secundo potest Deus movere proprie voluntatem applicando illam ad opus vel necessario, si velit, ut supra visum est, quod tamen raro, vel nunquam facit, vel libere : idque variis modis, scilicet ex parte intellectus per inspirationes, vel ex parte potentiæ voluntatis, aut infundendo habitum, aut alio modo illam incitando, et impellendo : qui omnes modi maxime pertinent ad operationes gratiæ, licet Aristoteles, lib. de bona Fort. ad Alexandrum, et Plato, ex parte cognoverint, homines excitari ad bonum a Deo. Vide Augustinum, 5 de Civit., cap. 9, Abulensem, quæst. 23, in cap. 21 Exod. Ex quibus colligitur, istam providentiam aliquo modo pertinere ad providentiam auctoris naturæ : sed hæc omnia non satis explicat D. Thomas, illis in locis, quia neque in omnibus actibus circa finem, etiam bonis, intercedit hæc divina motio, et est etiam in actibus circa media. Quare addendum est movere voluntatem ad istum actum, eo quod sit auctor voluntatis, et illi dedit propensionem ad bonum rationis, ex qua ista voluntas in finem immediate oritur. Nam in moralibus, sicut qui consulit, vel inducit, censetur causa actus, ita qui dat inclinationem naturalem, est causa actus manantis ab illa. Oportet autem hujusmodi actum ex bono usu naturæ inclinantis procedere, et ideo si sit actus peccati, non refertur in Deum, quia magis est contra : quam ex inclinatione naturali : quod indicat D. Thomas, art. 6, ad 2.

6. Dices. Eodem modo actus circa medium tribuetur Deo. Respondetur primo. Inclinatio naturæ primo, et per se est ad bonum per se amabile : ad media vero non inclinatur, nisi ex intentione finis : et media voluntate, et qui amor et intentio non sunt naturales, sed elicitæ a voluntate : et ideo actus circa media, qui ab actu circa finem oritur, in ipsam voluntatem magis refertur, quam in auctorem naturæ. Exemplum esse potest in intellectu prout naturaliter movetur in assensum principiorum, et se movet in assensum conclusionum. Ex quibus colligi potest, ex illis duobus actibus circa finem voluntatem magis proprie referri in Deum, quam intentionem : quia voluntas magis ex sola inclinatione naturæ procedit.

7. Argumenta Scoti probant priores duas conclusiones, rationes vero Cajetani non urgent contra illas, quia ut voluntas vere se moveat, non est necessaria præcedens intentio finis : sufficit enim antecedere perfectam cognitionem finis, et voluntatem plena potestate ferri in illum. Quare supra, tract. 1, dixi, ipsam motionem in finem esse actum humanum, et aliquo modo propter finem. Quare falsum est, volitionem finis non esse voluntariam per modum actus : contrarium enim docet D. Thomas 1, 2, q. 9, art. 4, ad 1 et 2. Et patet quia ille actus est in potestate voluntatis, et quia vult, efficit illum.

DISPUTATIO VII.

DE FRUITIONE.

Diximus de actibus voluntatis, qui versantur circa finem non acquisitum : sequitur, ut dicamus de actu, qui tantum elici potest, sine jam acquisito, ut expeditis actibus omnigenis circa finem veniamus ad eos, qui circa media versantur.

SECTIO I.

Utrum fruitio sit actus voluntatis.

1. *Prima sententia.* — Prima sententia negat, quam tenet Soto, in 4, dist. 49, quæst. 2, a. 4, qui de fruitione beatorum loquens dicit esse ipsam consecutionem, atque adeo esse ipsam beatitudinem : ad voluntatem autem pertinere vel per modum objecti, vel per modum actionis efficientis in voluntate passionem gaudii, favet D. Thomas 1, 2, q. 11, a. 1, ad 1, et 1 p., q. 26, art. 2, his locis indicat fruitiorem esse ipsam beatitudinem creaturæ rationalis. Et Augustinus, lib. de Morib. Eccl., c. 3 : *Quid est (inquit) frui, nisi apud te habere quod diligis ?* Fundamentum est, quia frui est fructum capere : sed illa actio, qua quis fructum capit, est consecutio illius : ergo, etc.

2. *Secunda sententia.* — Secunda sententia dicit, fruitiorem esse in voluntate, et in hoc conveniunt fere alii theologi : tamen diverso modo. Nam Scotus, in 1, d. 1, q. 3, dicit esse amorem propter verba Augustini 1, de Doct. Christ., dicentis, c. 4, *frui est amore alicui rei inherere propter seipsam* : tamen Cajetanus, Capreolus et alii dicunt non esse amorem, sed gaudium, quod etiam indicat D. Thomas, 1, 2, quæst. 11, art. 1, et quæst. 5, de Potentia, art. 1, ad 15, his enim locis et fruitiorem nu-

merat inter actus a voluntate elicitos, et dicit sequi ex amore, et præsentia rei amate. Videatur 1 p., q. 12, a. 7, ad 1.

3. *Tertia sententia.* — Tertia sententia est fruitiorem non esse unum actum, sed aggregatum ex amore et gaudio : præcipue tamen requirere amorem ; ita Hipalensis in 1, d. 1, a. 2, et quidam alii.

4. *Notatio prima.* — Ne solum sit quæstio de nomine : Nota in fruente de quacumque re hæc tria esse necessaria, amare, possidere et gaudere, et præter hæc nihil aliud. Primum patet : nam si quis amat, et nullo modo possidet, desiderare poterit, sed non frui : quia frui est terminus desiderii : unde est illud Prov. 7 : *Veni fruamur concupitis.* Item qui amat et possidet, si non delectatur, non fruitur : nam qui sumit potionem amaram, quam appetebat, non fruitur. Unde Augustinus 10, de Trinit., cap. 10, *fruimur (ait) rebus cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit.* Secundum, nempe hæc sufficere patet, nam qui hæc habet, quocumque alio careat, fruitur. Concludo ergo, fruitiorem non esse aliquid ab his distinctum, sive hæc tria inter se distinguantur, sive non, de qua infra.

5. *Notatio secunda.* — Præterea secundo certum est, ex his tribus amorem et gaudium in voluntate esse : possidere vero pertinere ad eam potentiam, quæ tenet bonum amatum : sive illa intellectus sit, sive sensus. Neque enim audienda est illorum sententia, qui dicunt, voluptatem, sed gaudium non esse actum appetitum, seu voluntatis, sed ejus potentiæ, quæ bonum amatum tenet : atque adeo voluptatem, quam aliquis capit, verbi gratia, videndo esse in ipso visu, quod tenet Adamus, in 1, d. 1, quæst. 3, quoniam cum gaudium, et delectatio tendat ad bonum sub ratione boni, ut per se constat : manifestum videtur hunc actum ad appetitum pertinere, de quo videri potest Gregorius, in 1, d. 1, quæst. 2.

6. *Notatio tertia.* — Ex his colligitur tertio, fruitiorem proprie non esse amorem, tum quia amor per se abstrahit a consecutione, et ejusdem rationis est, sive delectatio adsit, sive non. Unde Paulus scribit ad Philemonem quem jam diligebat, *Ita te fruar in Domino.* Et præterea Augustinus 8, de Civ., cap. 9 : *Nemo (inquit) beatus est, qui eo non fruitur quod amat.* Unde cum 1, de Doct. Christ., dicit, frui esse amore inherere, non intelligit esse amorem ipsum, sed illam inhæSIONEM, seu quietem, quæ ex amore nascitur, quod etiam patet ex vi ipsius nominis : nam frui est capere fructum a re :

